

C V I S

1 6 3 6



- I Eberhardi Speckhan *Centuria Tevha*
 II *Dissertationes Iudicæ*
 III *De libris Denunciacione D. Böhemii*
 IV *De Inimicis et Famosis libellis D. Grossii*
 V *De Felonia D. Zederen.*
 VI *De Concurſu ac prælatione Creditorum D. Strauchii*
 VII *Dissputatio quaestiones Iudicæ politico-politicas gincus D. Carlzovii.*
 VIII *Dissputatio de iure potandi.*

EX LIBRIS
 ILLUSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

Wb. 38.
 2.

DISPUTATIO IN-
AUGURALIS THEO-
RETICOPRACTICA

*Jus potandi, cum omnibus solennitatibus &
controversijs occurrentibus secundum
Jus civile discussis, breviter
adumbrans*

QUAM

*Permissu & Autoritate Nobilissimi & famosissimi
Ordinis in Academia Divæ Potina*

PRÆSIDENTE

DIONYSIO BACCHO Symposiaste summo &
Antecessore præcellentissimo

*In Collegio Hilaritatis, Symptiæ suis præstantissi-
mi publice exponet*

BLASIUS MULTIBIBUS UTRIUSQUE
Vini & Cerevisiæ Candidatus longè
meritissimus.

*Horis Antemeridianis & Postmeridianis
solutis & licitis.*

Respicendum an & quantum in natura hominum sit.
l. 38. ff. De rebus eod.



OENOZYTHOPOLI

Ad signum oculorum rubricolorum,
cl b CXVl.



Ad Populares suos.

Non potare nefas. Potinnâ nata benignâ,
Teutona progenies, pulcro conamine sueta
cum poculis vacuare scyphos, magnosq; culillos
Æmula Persarum & Græcorum, leta superbi.
Quid, quo jure modoq; ubi, cur & quando bi-
bendum?

inter-numq; fiet, Davus fors potet an herus?
quodq; fiet robur potus? jam ritè propinat

POTORUM PRÆSES: Tu oculis, ore
imbibe & aure,

Quâ peccare datur potu, haut impeggeris unquam:
Quâ prestare datur potu, haut defeceris unquam.

Oenopota Germanus.



DE JURE POTANDI,

Positio I.

Ottidiana esse addiscenda, Lucerna illa Juris Paulus in l. legavi 25. de libertat. legat. admonet. Cum itaq; nihil (quod sciam) sit familiarius, nihilq; magis solenne, quam ipsius Bacchi sacra, & verendum, ne nobis objiciatur, quod olim servio Mutius opponebat in l. necessarium. 2. §. Servius 43. ff. de orig. jur. turpe esse Germanis jus conviviorum, in quo quotidie versatur, ignorare: Non abs re esse duxi, si nonnullas observationes tam Theoreticas quam Practicas in gratiam eorum, qui aliquando animum ad forum applicare desiderant, ventilarem, quo rudiores excitarentur & excolerentur, eruditionib. verò penitus in eam rem inquirendi ansa propinaretur.

2. ORIGO hujus Dionysij festi quin sit antiquissima omnibus constat. Usus itidem promiscuum omnibus gentibus communem esse, & què notum est temporum tamen evolutione nemo non Germanis propter sedulam eorum devotamq; erga hoc numen religionem & culturam, principatum obtulit; quam laudem pressis velut manibus proterve adhuc præceteris sibi retinent & defendunt. Ad hos itaque eorumq; consuetudines, præsens collimabit dissertatio, quam tamen principaliter ad praxin Academicam volo accommodatam.

3. Hujus Numinis cultus in commensationibus & potationib. consistit. POTATIO est strenua poculi suscepta velitatio. JUS POTANDI est quod inde resultat, comprehendens, ritus & solennitates, quidq; alteri ex lege præstare conveniat, subindicans.

4. CAUSAM PRIMAM ipsi antiquitati adscripsi. Secundariæ sunt plurimæ procedentes vel ex liberalitate ipsius domini, cujus impensis potationes expediuntur; vel ex quadam honestate, aliquando etiam ex necessitate.

5. Liberalitas illa causatur vel ex sola affectione, ut si amicos invicem nullam ob aliam quam amicitie causam; vel ex alijs circumstantijs: Sic ipsa æris constitutio, nonnunquam occasionem à studijs versandis Bacchoq; indulgendi præbet, quod fit, si nebulosæ forsan incidant pluvie, quibus corpus ad desidiam provocatur, cui si solitudo accedat, facile melan-

ebolia contrahi potest; Hoc itaque ne fiat accitis amicis ad potandum aliquando devenitur. Pariratione majore urgente solis fervore, unde corporis provenit lassitudo, Musis invigilare difficile est; Assumendum igitur aliquid liquoris, quo ista flamma restinguatur, in quo dum laboratur e re sepius occasio bibendi nascitur. Quæri hinc potest: An expediat diebus canicularibus studere? Matutino tempore modica quidem olet impensio extra periculum esse putamus, pomeridianum verò tempus noxium omnino. Videmus enim tunc temporis canes in rabiem agi, qui tamen nullius rei cogitationi inhaerent. Quo dubio procul veneranda respexit antiquitas; quæ in quibusdam Academijs & scholis circa id tempus pomeridianas suspendit lectiones. Tabellarij quoque bene nummati expectatus adventus regulaviter aliquo symposio salutandus venit? ibi in sanitatem patris, matris & omnium eorum, qui aureos nummos mittere solent, bibitur, reliqui non curantur.

6. Propter honestatem aliquando instruenda potatio, studiæque interruptenda, ut si amicus nos interpellet. Maxima namque esset rusticitas & importuna sedulitas nosse amico per exigui temporis usuram vacare.

7. Necessitas eos potissimum stringit qui noviter ad Academijs accesserunt. Illi namque per Schoristas (ut vocant) aditi vinum aut cerevisiam prout ferè eorum crumena ad satietatem apponere coguntur, nisi pugnos sentire malunt; Quæ consuetudo num rationabilis, & utrumne quis salva conscientia Schoristarum consortio se aggregare possit, si quaeratur? Utrumque de jure negamus. Incurrunt enim hæc rectè contra juris nostri principia, quæ honestatem morum jubent, alterius lesionem vetant; Fures & prædones si homines execrantur quis hosce laudabit? Quorsum Interdictum Utrubi? Si non ad hosce per vim interrumpentes hospites spectent? De facto autem & consuetudine loci quid obtineat vide Disputationem famosam De Jure & natura Pennalium pertor.

8. MATERIA EST VINUM ET CEREVISIA: quorum utrumque in multiplici est differentia; nec dubium si de præstantia quaeras, quin vinum cerevisiæ longè prævaleat. In suo tamen genere utroque considerato, cujusnam bonitas præponderet, unius non est judicare, tot enim de eo sunt sententiæ quot capita. Quod vel inde constat, dum plurimi reperiantur; quia quam aut lac, vino etiam excellentissimo præponat. Meo palatui magis adblanditur cerevisia Rostochiensis, Hamburgensis, Dantschæ Dubbel

Subbele Bier/Preussingt/Brunschwigische Mummie, Knisenack/
Hannoversch Broghan/Engelischs Bier/Secwerster, Torger/quam
Buckuck/Buffel/Kostreum/Blatsche/longeq pluris astimo vinum
Lacedaemonicum vel purum, Rhenanum, ut Klingenderger/Muscatele
Ier/Kephs/Gambacher/Malvasier/PeterSimens/Allefantes/
Rieffelder/Vothalter/Bacharacher/quam omnia Francica &
Hesiaca vina.

9. FORMA potandi dignoscitur ex ipsis bibitionum modis, qui
vel sunt totales vel partiales. Totales sunt quando totum exhauritur:
Idq; fit vel continue vel discontinue. Continue quando uno haustu to-
tum evacuatur; Idq; expeditur vel floricos, vel hausticos. Floricos
bibitur cum os poci labris circumcluditur, unoq; impetu potus ad guttu-
rem demittitur, cujus reflectio bullulas quasdam efflat, quas flores nostri
dicunt. Hausticos cum usitato modo totum sine respiratione extrahitur.

10. Cujus ratione indubium venit: Si quis inchoet aliquod poculum
floricis ordine ebibendum, & forsitan unus e medio hoc prestare ne-
queat (nam non omnibus contingit adire Corinthum.) Quid sit facien-
dum? Nemo ad impossibile obligatur. c. nemo 6. de R. I. in 6. & suffi-
cit ad suum modum fuisse diligentem & gnayum l. Quod Nerva, 32. ff.
De posit.

11. Sed quid si nec hausticos ebibere queat? Illa est lata culpa, non
novisse id, quod omnes tenent l. latæ 223. ff. De V. S. qua dolo compara-
tur. l. i. §. i. ff. si mens. fals. mod. dix. Ea propter excusationem non
merebitur. Bibat itaq; usq; dum oculi disfluant.

12. Quid si de virium suarum tenuitate non protestetur, inchoetq;
floricis ebibendum, sed complementum addere non valeat, quid ju-
ris? Ille de nova inchoare debet, non enim illud affectare debuerat, cujus e-
rat imperitus. l. idem 8. §. i. ff. Ad l. Aquil.

13. Quandoquidem haec strictè observanda sunt: Numne Virgo assi-
dens aliquantulum adjuvare poterit? Aff. Quia minima non curat pra-
tor. l. 4. ff. De in Integ. restit.

14. At quid si strenuè bibat: Tum negamus; hac namq; in fraudem
legis fieret, qua circumventionem non patitur. l. contra 29. cum l. seq.
ff. De II. presumpite tamen pro virgine est, cum raro sint bibaces. LL. au-
tem ad id, quod frequentius fit, feruntur. l. jura 3, cum seqq. ff. de LL.

15. Anne idem de Anu afferendum? Istud pernegamus, longos namq; singultus vetula solent docere, & plus a quo absumere. Desuper plurima noxia in effæto & rancido isto corpore continentur; quæ ultrò cupiam communicationem poculi dissuadere debent.

16. Hæc pocula vel ordine procedant vel extra ordinem. Ordine quando nulla transgreditur persona, sed in omnes secundum sessionum seriem poculum promovetur, hujusmodi est poculum quod vocant sanitatis, quod alicujus sanitatis comprecanda stabilicndæq; causa nudo capite & quidem stando à tota Compania expeditur. De hoc quæri solet. An sit rationabile? Dicimus finem quidem esse bonum, intermedia autem non uoq; adeo convenientia: Nam quis nesciat quam multi sint, qui hujusmodi valedudinarijs poculis, alterius procurare valetudinem intendentes, suam ipsius exhaerent. Illos equidem in seipsos injuriosos, ipsamq; naturam violare constat, quæ quidem alijs prodesse dicitur, sed non cum suo detrimento l. 2. §. 5. in f. ff. De aq. & aq. plu. arc. l. 6. C. de Servit. & aq. & ut loquuntur Dd. ordinata caritas à se ipso incipit, Magnus tamen hujus ubiq; est usus cum primis in aulis Principum.

17. Oritur hic dubium: An liceat bibere in sanitatem Papæ? Bibat qui volet, nos non dignamur eum votu sanitatis, qui nunquam animo sanus est, nec sanus reddi potest. Sirit sanguinem quid sanguinem? Animam nostram sirit, quam si secum in gehennam traxerit, non licet quærere, Papa quid facis. c. papa 6. dist. 40.

18. Succedit huic alta quæstio: An honestum sit ut quis patiatur præsens suam ab alijs bibi sanitatem? Ita obtinet usu, ut quis non reputetur politicus, qui talem sibi exhiberi patitur honorem. Imò multoties incivilitati ascribitur, si quis sine protestatione inchoari permittat sanitatem proximi cognati. Amatorijs tamen seu Veneris Mancipijs specialiter indultum est, ut in suarum Animularum (licet præsentium) sanitatem hujusmodi votivos haustus instillent qui maximos in ijs pruritus excitare solent, cordaque & renes penetrare: Imò tanto hoc ipso incenduntur aestu, licet poculum sit ingens valde, cujus profunditatem vacca quadrima hauc valeret absorbere, illi tamen sine difficultate & tō vōv ad unguem usq; exurgere possint.

19. Extra ordinem bibitur cum ordinis ratio non attenditur, sed hoc illucye poculum destinare licet. Quod vel simpliciter fit, vel cum
fingu

Singulari sensu: Simpliciter veluti si nihil præter ipsum bibendi actum in-
troducatur poculum quemadmodum communiter bibi solet. Hic salebrose
satis incidit questio, quam multi tanquam altas radices hominum attin-
gere noluerunt. An is qui adversario suo hoc pacto propinat, injuriam
sibi factam remisisse videatur? Agentibus assentimur: nam cum hujus-
modi propinationes votiva quadam salutis comprecatione perficiantur, quis
neget, restinctum esse animi fervorem in eum, qui nobis faustissima quæque
comprecatur. Eo respicit §. fin. Inst. De injur. dissimulatione injuriarum
actionem aboleri ubi notant Dd. illud fieri per salutationem reciprocam,
compositionem manuum, convivalem & familiarem conversationem. Ij-
dem tradunt prædictis modis injuriam ad animum semel revocatum, tacite
remissam censerit, quod tamen communius non absolute recipitur, sed cum
quadam limitatione, si id lite nondum mota fiat. Quod vos notare volo,
quibus publicas popinas crebrius visitare moris est, ut sicuti vobis cum alio
res sit, notitum vel illi præbibere vel ab illo profectum suscipere, nisi ipsimet
reconciliationem appetatis. Unde protestari quosdam videmus, quoties
cum inimicis ipsis convivialiter conversandum sit, cause inde nihil decedere
debere, daß sie ihm auß Hoffrecht eins bringen wollen.

20. Singularem præ se fert sensum POCULUM quod vocant
FRATERNITATIS moribus introductum, quo aliquis velut initia-
tionis ritu verbis solennibus in fratrem cooptatur: vulgo vocant die Brü-
derschafft/ oder außm Duz drincken/ Formula communis adoptantis
hæc esse solet: Si non dominio juvenis nimis aut inæqualis viderer, optarem
cum eodem amicitiam & fraternitatem pangere: Respondet alter bibe in
nomine domini, erit id mihi per quam gratum. Bibit, traditq; adoptan-
do, ubi in ipso traditionis actu hæc verba consueta adhibentur. Nomen
est mihi N. N. faciam quod tibi sit acceptum, omittamque quod sit ingra-
tum, omninoque me ita geram ut bonum addecet fratrem. Cui alter in-
fit? Et idem ego ero in omnibus. Ibi postmodum non multis adjectis musi-
cationibus ab invicem rogationes fiunt, ut hæc fraternitas mutuis visita-
tionibus stabilietur. Hæc ut dixi fraternitas consuetudine inducta est,
quam jus civile prorsus ignorat, nullus siquidem per adoptionem illo jure fra-
trem sibi querere potest l. nec ap. 7. C. De heredit. instit. Ipsam namq;
adoptio naturam imitatur. §. 4. Inst. de Adopt. Contra naturam autem
foret fratrem ex fratre nasci.

21. Circa

21. *Circa quod generaliter indagare licet: Quid de ipsa fraternitate per poculum contracta statuendum sit? Eam parum firmitatis habere prudentiores arbitrantur. Et hoc verissimum est, eadem siquidem facilitate, qua colligata est, resolvi potest. l. nihil tam ff. de R. J. Quod multoties ita in facto evenit, ut qui hac hora in intimam conspirarunt fraternitatem, sequente se invicem pugnis exercuerint. Nec hoc mirum cuiquam videatur, Effectus enim suam causam arguit, qua qualis processit, talis quoque hic censetur l. 5. §. 1. De administ. tut. Jam certum est, nihil quicquam stabile in ipsa ebrietate reperiri, sed omnia cum impetu agi l. 11. §. 2. ff. De poen. Unde alij ebrium currui sine ductore currenti compararunt. Ergo nec in ipsa amicitia, per ebrietatem contracta quicquam firmi erit. Videmus tamen nonnunquam amicitioris conjunctionis hinc sumi occasionem & stabilimentum & temporis tandem subijci progressu.*

22. *Stante tamen communi sententia inquirere non abs re erit: An honestum sit; studiosum cum pennali fraternitatem bibere? Cum aves unius coloris junctim volare soleant, exque com te nascatur, qui ex se non dignoscitur, presumptione juris, is non immerito pro pennali habetur, qui se pennali aggregat. Accedit quod Adoptio agnitionis jus indicat. l. 23. De Adopt. Agnati autem arctissime jungantur, adeo ut de alterius sanguine participasse videantur. Coaluisse itaque reputatur, & ipsam veluti ex traduce hausisse pennalitatem censetur, qui cum pennali hujusmodi foedera pepigit, Degradatione non indignus est, ut qui tam crudelis fuit, ut famam suam neglexerit, qua cum vita pari passu ambulat l. 9. de Manum. vindict.*

23. *Idemne de Nobili asserendum quasi ipsi officiat cum studioso ignobile hujusmodi confederationem facere? Minime gentium. Quandoquidem tantum abest, ut hoc nobilitatis splendori sit dedecori, ut potius eam apprimere ornet. Sic summos videmus Monarchas literatorum ambuisse amicitias ut quorum consilijs & eruditione instructi longe feliciter imperij gubernacula tenere potuerint. Quid quod ipsis studiosis, eadem (si non majora) competant privilegia, qua nobilibus. Auth. Habita C. Ne Fil. pro patre. Quid quod & ipsi (praesertim juri incumbentes.) ad nobilitatis fastigium adspirare valeant, Exemplo Ulpiani in l. 7. C. De postul. l. 8. f. ff. De excus. tut. Quam nobilitatem utpote virtute adquisitam*

quisitum multo praestantior esse ea, quae ex natalibus provenit, tradunt
secundum illud: Nobilis uere est quem nobilitat sua virtus.

24. Unde diffluit & haec consideratio: Aliquidnam decedat hono-
nori studiosi si picem in fratrem adsumat? Affirmandum prima fronte
videtur ex ijs rationibus, quibus contra pennaem usus sum. Attamen con-
trarium in foro determinari videmus: Et ratio diversitatis dari potest;
quod pennaalis infamia quadam si non iuris, facti tamen laborare videatur,
& in contrario prorsus sit praedicamento cum studioso, sitq; velut abortus in
quo natura deficiat perfectitudo, cum contra pices sint in suo genere per-
fecti, nec ita odibiles. Huc confer quod ratione victus & amictus studiosus
isto hominum genere carere nequeat. Quare fidissime consulo bis qui hu-
jusmodi hominum opera uti coguntur, ut rogati non denegent fraternita-
tem. Nam hoc & in Cambio & mutuatione pecuniarum & fide habenda,
si nummos in presenti non habeas, plurimum prodest. Recitabo vobis exem-
plum, quod alicubi accidisse audio: Fuit aliquando mercator qui ambivit
studiosi cujusdam fraternitatem; Hic bene esse dicit, sed non solere se quem-
quam qui non sit sui ordinis in fratrem assumere, nisi data aliqua arrha sive
recordationis symbolo: Alter gestiens de tali oblato fratre, quid capiat qua-
rit; Cui insit ille, placere sibi tibialia serici filii quae ut det, imperat. Con-
sentit pax, postero die promissum explet. Videte num haec Praxi aureum
os habeat. Remittendum igitur potius aliquid de iuris rigore, quam con-
tra propria commoda laborandum.

25. Quid de Virgine censes, Num castitati quidpiam inde de-
cedet, si cum juvene huiusmodi foedus pangat? Illud perquam solemne
esse inter nobiles audio; imò aliquando etiam ad alios defluere ritum illum
animadverto; Das sie auff Schwesterhafte oder hertzliche Treu
drincken/ sed cavete, cavete, inquam Virgines, quotquot castitatem ama-
tis, ne praetextu fraternitatum vos in sua retia pelliciant fistula dulce canit,
volucrum dum decipit auceps, & Sororcula titulus brevi negotio in titu-
lum concubinae converti potest. Quare principis obsta, sero medicina pa-
ratur.

26. Hic hausticōs bibendi modus nonnullis aliquando circum-
stantijs variatur desumptis aut ex subjecto recipientis potum vel ex bi-
bendi discrimine. Illo modo multoties ex patinis frustra carniam ab-
domini & jusculi reliquijs illitis sorbentur potiones, vel ex pileis domesticis

B

multo.

multoties peculijs plurimis obstitis hauriuntur; vel ex calceis quos non raro impurus aliquis podicis filius ambedit magnis singultibus protenso guttore extrahuntur: Quid quod ex matulis cum ipsis urine excrementis potum sumere quibusdam placet. Suis ad eum magis quam studiosis hic mos conveniens, & qui hoc faciunt non potiores sunt canibus ad vomitum redeuntibus, multisq; parasangis rusticum illum antecededunt, qui regressum in via mulsam pileo excepit, secundamque sibi & familie sue mensam domum rediens extrui inde fecit. Nec minus probabilis est eorum prociacia, qui candelas injiciunt poculis; scriptum enim est, bibe quod est liquidum. Quid de isto dicam lurcone, qui sex insectos in cantbarum baleces falsos cum ipsa cerevisia proluere & integros deglutire potuit. Ego ipsi aliquid mollioris farturæ, quod spinas non continuisset, devorandum porrexissim, quod ipsi conducibilius forsitan, nec tanta in digerendo difficultas fuisset.

27. Exclamo quoties eorum mecum agito vesaniam, qui non contenti potu, ipsa vitra simul vorant; expediret potius aliquid bellariorum à tergo vacce magnæ recenter excidentium ore excepisse, illudq; mandisse: sic enim & os & viscera extra omne arrosionis periculum posita forent, Unde facile constat, posse quem hujusmodi insuetos & violentos bibendi modos, alio quantumvis præeunte, honestè recusare.

28. Sed quid si sub honoris nostri discrimine adimoneamur, **Bey Schelm Schelm der es nicht nach thut?** Nec tum quidem nos teneri autumo. Etenim quæ facta lædunt pietatem & incolumitatem, & contra bonos mores sunt, ne fieri quidem à nobis posse putandum l. 15. ff. de condit. instit. nec malis moribus aperienda fenestra, sed potius purganda à corruptelis provincia l. 13. pr. de offic. præf. Quin & quod in proprium corpus sevirere non liceat l. fin. §. 6. ff. de bon. eor. qui ant. sent. cum nemo sit membrorum suorum dominus l. 12. ff. ad l. Aquil.

29. Ipse bibendi actus variatur multifariam. Ego paucas allegabo circumstantias. Sic nonnullis placet ore attollere vitrum. Alij citius apprehendunt labrum, ut inclinato ad terram capite bibant: Quidam duo conjungunt pocula, & simul ebibunt. Reliqui non manu adsument, sed brachio innectunt poculum. Sunt qui ad frontem statuunt vitrum, ut sensim per nasum veluti canalem in os defluat. ubi præ cæteris hi insignem

mihis

mibi prerogativam habere videntur, qui bene nasuti sunt, ita ut inferius
in curvaturam ad modum rostri psittaci nasus abeat.

30. Sunt alij qui propria nomina propter gesticulationes & ceremo-
nias adhibitas, bibitionibus indiderunt. Cujusmodi sunt *Cuell/ Muell/*
Puff/ cujus mita sunt solennitates vel potius fantasia: poculum latinum
cui verba nonnulla cum quaterna propinatione adhibentur: Item *Das*
Röglein verkauffen/ Dem unbekandten bringen. Item sine *Tuck/*
sine *Schmuck/* sine *Bartwisch.* De quo posteriori si roget quis: An
sine *Bartwisch* bibere queat, qui barbam non habet? Respondetur id
jure fieri non posse; privatio enim presupponit habitum. Quae subtilitas
tamen in foro non attenditur.

31. Hactenus de poculis totaliter & continuis exhauriendis,
modo despiciamus de discontinuis haustibus, cujusmodi est poculum
Gratulatorium, Ser Willkomm/ cujus usus perquam familiaris est stu-
diosis, si quando novum hospitem nunquam ante hac in Museo visum ac-
cessisse videant, eidem cum proluxa praesatione capacissimum quod habent
poculum in argumentum accessus longe gratissimi afferunt. Quod num
recte quis recusare possit, multoties quaeritur? Negativa communiter
obtinuit: Quilibet namq; Monarcha est in suo Museo, ac sic jus ferendi le-
gem habet l. i. de constit. pec. Et quid laborabimus contra consuetudi-
nem legis vim obtinentem. l. 32. ff. de LL. Ubi tamen semel quis hujus-
modi honoratus poculo, denuo liber alio tempore redeat, non est convenien-
dus, nisi Museum sit mutatum, quo facto utpote novo acquisito territorio,
novis sancionibus opus est, cum hujusmodi statuta sint localia, nec ultra pro-
tendantur. l. fin. de jurisdic.

32. Illud agitatum sapius: Si cui in primo accessu poculum non
sit oblatum, an Dominus Musæi juri offerendi tacite videatur renun-
ciasse, hospitemq; necessitate bibendi liberasse? Certè si ipsa intentio
& scopus hujus poculi attendatur, affirmandum illud plane videtur: Con-
trarium tamen usu invaluit, videtur enim dominus jus in commodius tem-
pus sibi reservasse, cum nec ea quae mera facultatis sunt, ullo tempore pra-
scribi possint. l. 2, de via publ.

33. Hucusq; de totalibus bibitionibus? succedunt partiales,
cum non totum sed pars tantum hauritur, puta quando duo vel plures
de uno vitro participant. Qualis est permagna illa humpa quam vocant

Das Römische Reich cuius potentia non est exigua in prosternendū etiam viris fortissimis. Sic in inferiori Saxonie loci quatuor ex uno & quidem pleno vino vel cerevisia repleto cantharo bibunt, ita ut tres priores semel tantum bibant, quartus vero solus totum quod reliquum est exsiccet, quae forma potandi vulgò nominatur **Den Fuchs Schlepffen**.

34. Unum hic admodum singularem notate modum, cuius praxis aurea est, quam observavi in aliqua bene constituta republica. Vide in eadem mensa junctim per pares non secus ac columbae assolent, sedentes virgines & juvenes, ubi complicati invicem digitis annularibus adsumptoque inferius per utriusque manum simul poculo, junctisque velut rostris & hic & illa biberunt, & tandem osculo ceu sigillo apposito hanc societatem obsignarunt. Optandum esset ubique solennitatem hanc usu valere, jurarem multo sapidiores redditos iri potus; sed (proh dolor) imperitorum quorundam incuria in plerisque curvis profus intercidit.

35. In hoc tractatu non omitto celebrem & utilem articulum. Quid faciendum si omnes ex uno cantharo bibant, uniusque inter bibendum sternutatio obveniat, (quod fieri videmus dum aliquando ipse liquor solito meatu relicto per nares in cantharum relabatur.) Non iniquum arbitramur, ut ille solus totum quod reliquum est exhauriat, posteaque puero cantharum reluendum tradat, & sic pergatur in opere. Quamvis enim casus fortuitus, nemini imputari debeat, si tamen ex precedente culpa proveniat praestandus venit, l. 5. §. 7. ff. commod. Quod in proposito casu accidisse evidenter patet, aut enim moderatius debuisset bibisse, aut maturius ore avulsiisse.

36. Sed si ille suos sordes sorbere nolit, depreceturque humilissime? Interest quidem Reip. poenas suum sortiri exitum. l. sancimus C. de poen. Putarem tamen ex aequitate hoc ei posse remitti, aliumque cantharum ad summum usque repletum de novo ebibendum tradi: Ignoscendam n. est ei qui sanguinem suum qualiter qualiter qualiter redemptum vult. l. x. ff. de bon. eor. qui ante sent. maxime cum severitas LL. cum aliquo benignitatis temperamento leniri debeat. l. ii. pr. ff. de poen.

39. **FINIS ET EFFECTUS** potationis est ipsa inebriatio. Cujus modum expeditissimum plurimi desiderant, inque eo inveniendo auctores variant. Extra controversiam est vinum citius occupare cerebrum quam cerevisiam, quoque utrumque melius sit, eo validiores esse operationes;

sed

sed in eo vertitur cado; Sensimne bibendum an cum impetu? Fesi hoc utrum magis quis urgendus sit poculis, an minoribus veluti suppingendus? De hoc sic habere. Quae cum impetu fluunt, plus quidem robori habere, citiusq; aliquod vacuum complere; ceterum si exitus inferior obturatus sit vel aliquantulum angustior, eodem cum impetu resurgunt & affluunt, quo infusa sunt. Exemplum sit infundibulum Lagena super impositum per quod nisi sensim cerevisiam instilles, parum lagena capiet, sed pleraq; peribunt. sic qui magnis onerantur vasis stante pede ebibendis repleri quidem in tantum possunt, ut digito os immisso potus sit purum attingere vinum: Verum dicto citius, totum rejicitur, (cave sis ne e regione stes, ne velu saluari litera longa) & sic tota operatio frustranea est. Contra si minusculis poculis lis agatur illorum vim (ut Heroum est animus) strenuus flocci facit practicus, illaq; ultro cum voluptate promovet, donec tandem hisce illecebris ita fascinetur, ut neq; pes neq; mens satis officium suum facere queat, ut ait Comicus.

38. Cum itaq; omnes machinationes eo contendant, ut quis ad extremam perducatur ebrietatem varia stratagemata quibus hanc mentis alienationem evitare sperant, ab hospitibus excogitantur, & cum primis vicinorum infidelitas, dum sua alijs obtrudunt vitra, deprehenditur. Quod num bona conscientia quis facere possit quaero? Si in contractibus naturaliter quem circumvenire licet, ut licet. l. 22. ff. Locat. Quid cause foret, quo minus hic idem dicamus, praesertim cum vigilantibus jura scripta sint. l. 24. ff. quae in fraud. cred.

39. HUNC FINEM cum affecuti sint hospites, mirificas tractare incipiunt & omnia tumultuarie, ibi clamoribus & jubilationibus perstrepunt omnia. Nec desunt modulationes vocum quibus tota domus personat, cujusmodi sunt: Ich fuhr mich ubern Rhein/ 2c. Günstiger Herr vnd gater/ 2c. Nachbar Gott gebe euch einen orten/ 2c. Bonum vinum post Martinum, &c. Wir haben ein Schiff mit Wein/ 2c. He serh den Barenmeyer wol an seine/ 2c. Der tolle Judt/ 2c. Ein Hirsch spranck auß dem/ 2c. Es fuhr/ es fuhr/ es fuhr ein Bawr ins Holz/ Alde/ Alde mit seinem Rößlein/ 2c. See Benzel wol auff dem Jaune/ 2c. Was wollen wir singen/ 2c. Hänselein mein Brüdchel. Bacchus nobiscum. Et cum suo dolio. Et quae sunt aliae musicales voces. Praedicta tamen cantilena conjunctis omnium vocibus

Decantantur; alios quoque promiscue singuli suas cantiones efformare & declamare solent, quod auditu perjucundum est.

40. Qua occasione placet despicere: An qui in convivio tacitus sedens reliquorum voces imitari non valet, praesumatur exinde novus studiosus, utpote qui nesciat ceremonias Academicas? Neg. Nam etiam si qui plurimos annos in Academijs contrivit, ita se potuit literis addidisse, ut perrarò in hujusmodi sodalitia ipsi transeundi spacium reliquum fuerit; vel ut cumque aliquando interfuerit, non tamen protinus cuncta observasse potuerit; omnium siquidem memoriam habere divinitatis non humanitatis est l. 2. §. 41. C. de V. I. E. Sic nec e contrario statim in praesumendus studiosus, qui in omnibus hisce decantandis strenuam conjungere potest operam; Ipsi etenim Pennales subtiliores nonnunquam habent spiritus, & ea rimari possunt, quae vel studiosis sunt in cognita.

41. Non infrequenter quoque sunt disputationum certamina, ipse jam cooperante vino juxta illud.

Cum bibo vinum, loquitur mea lingua latinum.

Et Fœcundi calices quem non fecere disertum.

Cum primis novitij ferula scholastica recenter exempti admodum sibi placeant, & barbam demulcent, si de Ente & non Ente, de Ente quidditativo & ejusdem notionibus primis & secundis affectionibus, & quae hujus farinae alta mysteria Platonica sunt, futiliter (subtiliter puto) in convivio disceptare queant, putantque hoc pacto omnium admiratione suspicionem Pennalisimi declinare; nam quis stupendam hanc eruditionem in trivio natam vel musitare auderet? Sed nescio qui fiat, nostri nimirum oculati, asinum sub exuvio Leonis delitescentem sine perspicillo perspicere possunt, adeo graviter advertunt. Hinc fit, ut horum disputatorum paralogismi, aliquando solidissimis alapis resolvantur. Hoc vitio non solum Faixes isti infecti sunt, verum etiam ex ipsis studiosis nonnunquam reperire licet, qui admodum proclives sunt ad disputandum, si vel tantillum occasionis praebeatur: Ibi si ad omnes audires catervatim loquentes, Papinianos, Ulpianos, Martianos, Africanos, Julianos, & totam antiquitatem Jurisconsultorum. Nec tacent Neoterici, sed Donellum, Cujacium, Fabrum vivos adesse dejerares. Br. Bl. Jason procul ire jubentur. Mirum quanta congeries, LL, quanta series rationum adducatur. Sed redeundo ad questionem non sine periculo est, verbis experiri velle, ubi poculis res agenda venit: Vacuum venter bibit

Sibit libenter, nec se verbis explere sinit. Et quid opus est verbis, ubi rerum, id est poculorum testimonia adsunt: Quae res adeo quosdam movet, ut si verbis vincere nequeant, verbera substituunt, ut multoties observatum memini. Et recte quidem quid Saulus inter Prophetas? Eo etenim intenti esse debemus, ut omnia fiant decenter in Republica & tempestive siquidem non omnia omnibus & ubique conveniunt. Qui disputare vult cathedram conscendat, quo si perventum est, multi qui aureos montes antea pollicebantur, magis silent quam pisces. Discite itaque frenum injicere lingua, & os continere ubi opus est, & vosmet servate loco magis tempestivo; non enim periculi qui equam suberit, licet eruditione prorsus intumescatis, quod rumpantur ilia, aut vi tanta copiae dentes excutiantur.

42. Multi in more positum habent, ut aliquantulum inebriati continue rixas moveant. Unde quo remedio eorum procaecia retundenda sit, plurimi laborarunt? Communiter obtinuit, huiusmodi homini rixoso primo silentium imponendum, si tacere nolit, minas esse addendas, quod si nec tum linguae petulantia compesci posset, communibus impensis bene delumbatum remittendum esse unde venerit. Et hic procedendi modus juri conveniens est; malum namque e populo tollendum, ne latius vageatur, cum constet unam ovem scabiosam, totum posse inficere gregem. Nec haec verberatio cum relegatione conjuncta ideo cuiusdam rigorosa videri debet, quod nullus duplici poena affici debeat. arg. l. 14. ff. de offic. praef. Nam praemonitio duplex delictum aggravat. l. 28. §. 3. ff. de poen. & jam tum consuetudinem delinquendi contraxisse praesumitur, qui admonitus non desistit. l. 3. C. de Episc. audient.

43. Plurimi bene poti excussionibus fenestrarum omniumque suppellectilium dilacerationibus & collisionibus delectantur. Quin imo clibanos dejectos & per fenestras ejectos accepimus. Quod Schoristae in visitationibus Pennalium ut plurimum attentare solent; aliquando adhuc inclementius cum iis agunt, ipsasque bibliothecas invadunt, spoliant aut corrumpunt. Unde existit dubitatio non levis: An huiusmodi damnum Pennali illatum sic compensandum? Schoristae communiter tenent quod non: quia quod ad jus studiosorum attinet, Pennales pro nullis habentur. l. Quod attinet. 32. ff. de R. J. Sed velut civiliter mortui dicuntur l. antepen. d. t. Servi etenim sunt studiosorum, & iussa eorum exequi coguntur. Eodem facere ajunt, quod Pennalis editio monstrosa sit, nam cum natura studiosum
facere:

facere voluit, aberraverit, & Pennalem ediderit. Monstrum autem non pro homine, l. 14. de stat. hom. l. ostentum. 38. de V.S. l. 3. C. de possi. hered. instit. ne dum pro studioso habeatur, Præterea hanc castigationem non malo animo, sed emendationis & instructionis gratia fieri dicuntur, quæ non improbetur jure. t. t. C. de emend. propinq. Studiosi enim sicut veluti magistri Pennalium, in quos intentos eos esse oporteat, ut mores Academicos addiscant. Ea propter si vel oculus Pennali excutatur, injuriandi animo id non fieri præsumitur, sed animo disciplinandi l. 5. §. fin. ff. ad l. Aquil. l. 19. §. 2. ff. de poen. Qui textus quamvis in eo illis ob stare videatur, quod in fine subjiciatur Aquiliam locum habere; in promptu tamen habent responsum, loqui illam legem de illis discipulis, qui sunt tractabiles, quod videlicet hujusmodi violentia remedia, in eorum instructione non sint adsumenda. At cum Pennalis sit dura & pertinacis cervicis, duriore quoque cuneo opus esse, & non pectinem sed strigilem esse adhibendam. Verum utcumque speciose hæc ita dicantur, contrarium tamen in puncto juris verius est, nec difficile esset, nisi brevitate studium assuaderet ad allata fundd. respondere. Tota autem questio inde decisionem capere posse videtur, ut constet, An pennalis gaudeat privilegio studiosorum? Quod superius quidem negatur; Dd. tamen communi calculo in Auth. Habita. C. Ne fil. pro patre, affirmatur; nulla siquidem distinctio in d. auth. adhibetur. Ergo nec nostrum erit eam textui adstringere l. de pretio ff. de publ. in rem act. l. 1. §. 1. ff. de præstand. leg. Sed potius ratio, qua movetur Imper. æquæ in illis, qui noviter ad Academiæ aspirant, quam reliquis qui canitiem in Academiis contraxerunt, convenit. Quare igitur eos à dispositione hujus juris excludemus, atq. l. 32. ad l. Aquil. Et hoc quidem in tantum verum esse ajunt, ut etiam ad eum, qui primum ad Academiæ proficiscitur, licet eam non attigerit d. auth. porrigendam statuant. Imò quod majus est, alij in Gymnasijs Cæsareis privilegijs non donatis, delitescantibus hæc privilegia attribuunt. Utut sit sive d. auth. eos comprehendat sive non hujusmodi damnum datum rependendum est ex juris communis dispositione, quam si quis ad Pennales pertinere neget, ne is album à nigro distare negabit. Sed hæc est communis Theorica. In praxi quidem miseri isti Pennales (ut est genus timidum) frendore dentium & nimis facile absterrentur, ne jus suum prosequantur, qui si tamen rem ad magistratum deferre ausi fuerint, non impunita ab his Scriptarum violentia.

44. Mirum est in tanto ebrietatis gurgite omnem extinguente rationis & memoria usum, nihilominus sanas cogitationes suscipi posse, quod tamen à nostris religiosissime fieri videmus, dum non immemores tractationis oblata, ipsos bolos & potus eructant, & hestiti vice compensationis reddunt. Dubitari itaq; possit, An hæc regestio in multorum præsentia facta aliquam turpitudinem sapiat? Communis opinio est quod non; illud siquidem sit consequens necessarium quod provideri nequeat. Unde tantum abest, ut hestites ei succenseant, ut potius summe sibi gratulentur, triumphantes de tanta obtenta victoria. Quin imo allata aqua jubent mundare os, & nihilo secius examen continuare. Contrarium tamen ex jure eruere forsitan haud foret difficile, sed periculosum nimis est, contra communem aliquid audere tentare.

45. Qua stante sententia. Si in præsentia virginum iste vomitus fiat, ane tunc aliquid dedecoris secum trahit? Maxime & ita quotidie practicitur. Quod multi non sine dolore experti sunt, hoc ipso omni Amasiarum gratia exuti. Imò audio quempiam ab assidente virgine quam perditè amarat, suam appellatum, & manibus pedibusq; de mensa esse dejectum, quamvis nullam conclavi partem commaculaverat sed omnia in proprium pileum ori obditum rejecerat. Quod tamen dirum nimis, cum quilibet sit rerum suarum moderator & arbiter. J. 21. C. Mandat. Sed ita stylus curie observat.

46. Non minus in eo desudatum est: Numne quis in medio virginum desidens salvo honore suo ad urinam reddendam exsurgere queat? Quidam admodum inverecundum id esse existimant, & ob id varia inquirunt remedia urinam suspendentia. Alij quibus de ijs remedijs nihil constat ipsam naturam coercendo urinam reprimunt, usq; dum lachryme ex oculis prorumpant. Audivi elegantem de quodam juvene historiam, qui in convivio virginum gregi associatus, & undiquaq; adeo impense poculi impetitus est, ut brevi tempore ad urinam reddendum natura instigaverit. At ille impudicum existimans tam citò surgere, viam invenit pudoris salvandi, ac feretrum suum fortiter intensum in ocreas quibus tunc temporis utebantur ad ventrem usq; porrectas (Eques enim inceserat) emittit urine reddende gratia. Quod dum agit, Ecce infelici e regione à virgine poculum offertur, cujus cum suscipiendi causa surgit, prorumpit nequam ille sub mensa latitans, seq; in ipsas virginum facies effundit, quo

C

viso

viso hoc monstro, elatiu vocibus conclamantur, non secus ac Anseres & Fa-
ta, quid hoc est. Perpendite queso quid cordis fuerit ipsi misero. Ne i-
gitur de nobis eadem ludatur fabula, nolite neque adeo esse meticulosi, ut
vereamini opus reddere natura, quod nec ipse virgines, licet admodum ve-
lint esse subtiles, per sudorem emittere possunt. Et licet illud aliquibus vi-
deatur incivile, melius tamen est occurrere in tempore quam post vulnera-
tam causam remedium querere l. 1. Quando liceat. se un. fin. jud. Si ille
in tempore surrexisset, non tantam ignominiam contraxisset.

47. Sed redeundo ad vomitum: illuc non sine litigio esse depre-
hendo: Utrum is qui evomendo alterius faciem vel vestes conspurca-
vit injuriarum aut L. Aquil. actione conveniri queat? Neg. Quia vo-
luntas & propositum maleficia distinguunt. l. 53. ff. De furt. Hic vero
delinquendi animum non habuit, cum necessitate compulsus reboantes emit-
tere coactus fuerit, nisi dentes labefactere mallet. In necessitatibus autem
nemo presumitur esse liberalis. l. 18. De admi. leg. Huc facit quod qui-
libet debeat esse gnarus conditionis ejus cum qua versatur. l. 2. §. 43. De
O. l. 1. 19. ff. De R. J. Si itaq; in loco hujusmodi exercitijs destinato in-
curia sua quis laedatur, sibi illud imputare debet. arg. §. 3. Inst. Ad L.
Aquil.

48. Quoniam superius in virgines incidimus, memoranda hic tra-
ctanda venit Quaestio: Satis ne tutum sit Virgines interesse hujusmodi
conversationsibus? Edepol quia tunc incertarum solemus esse manuum, e-
asq; sursum versum in omnes angulos inferere in more habeamus, & fre-
quenter tanquam eves erramus praesertim si lauina, (quod contingere in-
prociui est) intercident scaderem ne nimiam fiderent, latet enim anguis
in herba, quasi cuspidem alicui figat, venenum expuit immedicabile, quo
sumpto adeo intumescunt puellae, ut nullum Emplastrum, licet vim habeat
maxime atrahentem, tumorem istum extrahere valeat (non loquor de il-
lis quae passivam tenent artem, sed contra omnes ictus praemunire norunt)
Cogitent quodq; optime istae Galathae quam periculosa res sit Virginitas,
cum eam osculo delambari tradant. Dd. ad l. 16. C. de donat. ant. nupt.
per text. illum. Perpendant insuper & accuratius aliquando examinent
dirissimum illud pontificis praesagium in c. si Paulus causa 32. q. 5. Ne-
Deum quidem corruptam Virginem resuscitare posse; A quo non procul ab-
est Imp. in l. un. C. de rapt. virg. Qua singula non sine gravi consilio
quibusq;

quibusdam in mentem venire sapienter, quae autem moribus se suamque salutem defendere voluerunt, indignantes in haec eripuisse irrectivas defensivas voces prohibentur: sine me inde tonsam: Manum de tabula, Desine quod queris non invenies. Domine quot sunt venti; vel ut Neoterica, Huius conaspiras? Bey leibenicht/ Ich wie lönt einer doch/ hören auff/ lasa sens bleiben/ jetzt oder noch ehe/ Ist der Herr auch hömsch/ Diese Woche nicht/ Meint ihr daß ich eine Hure bin/ vor wen sehet ihr mich an/ lasset mich gehn/ & quae sunt huiusmodi indignandi formulae aliae.

49. Oportune hic quaeritur. An is qui hoc pacto manum in virginis sinum voluit immittere, injuriarum possit conveniri? Equidem si nuda appellatio, id est, blanda solum oratione pudicitiam ademptare, injuriam infert. l. 13. §. 19. 20. 22. ff. De injur. quis negabit, si quis ad rem velit progredi injuriarum nasci actionem? Demus nostra per vias introita l. 23. ff. d. t. aut effracta l. 53. pr. ff. de furt. gravissima & atrocissima injuria exemplar est; Tunc ipsius virginis violatis repagulis nihil injuriosum committi adseres? Fores & fenestrae restaurari possunt, sed haec claustra semel illata nulla arte fabrili refici possunt. d. l. un. C. de rapt. virg.

50. At quid si viderit alium cui fas non fuerat submittentem manum, cui virgo indignata non fuit, ipseque idem attentet, num injuriarum actio locum habebit? Hanc Questionem non expresse reperio decisam, aliquid tamen si liceret conjectari, dicerem; dissimulatum prius factum injuriosum praesumptionem inferre pudicitiae laesa, & sic locum non esse persecutioni injuriarum: Idque ex mente. Jcti in l. 5. §. sed si quis 15. de injur. Ubi si quis virginem meretricio habitu indutam appellet, cum non peccare dicitur. Quod si habitus aliquam suspectam faciat (quam dicunt Dd. rationem ibi fuisse, quod ex pennis cognoscitur avis) quanto magis ipsa morum lascivia aliquam libidinis arguet.

51. Praedicta austeritas in aliquibus non reperitur, sed se aliquantulum tractabiliores praebent. Quod si nostri olfaciunt duo simul, si non plures manus ad tabulam ad movere non erubescunt: Unde illud quandoquidem auditur. Ehem hiccine convenimus: adeo semper simplices istae puellae suas sentiunt vexationes.

52. At quid mirum Virginibus haec usu venire inter pocula, cum ne An-

stus quidem tunc temporis satis cautum esse praxi monstrat. Constat enim quosdam bene potos post ancillas sese in cellas precipitasse, requiemque quesivisse, aliquando quoque eandem invenisse; Imò in ipsas vetulas quosdam irruisse, easdemque mordicus delambisse usus monstrat. Quod si fuligo coque, si ruga vetula, ab hoc furore juvenes avertere nequeant, quis virgines tanquam venustiores forma, extra omnem periculi aleam positas fide jubebit? cum alias natura appetat optima, semperque deproperet edere novas formas 2. FF. 24. §. 2. Qui instinctus solet esse incorrigibilis §. sed naturalia. Inst. De I. N. G. & C.

53. Desuper & hoc virgines ab hac conversatione deterrere debet, quod si forsitan aliquid furiosi patiantur, eo nomine actio tamen nulla jure prodita. Scriptum namque est, qui amat periculum peribit in eo: Et damnum quod quis sua culpa sentit, non videtur sentire l. quod quis. 103. ff. De R. J. Cui accedit & hoc, quod omne malefium ex affectu delinquendi metiamur l. 53. ff. pr. De furt. At Ebrui nullum delinquendi affectum habere queat, cum impetu ad delinquendum impellatur. l. II. §. 2. De poen. Indeg furioso comparetur l. uu C. si quis impit. maled. qui ex delicto non punitur. l. 4. De offic. præsid.

54. Ulterius despiciere placet, posito Virginem solam ceu notuam inter cornices interesse congregationi aliquot juvenum (Quod alias satis Periculosum, cum communitio discordias excitet. l. 77. §. 20. in ff. De legat 2. Quod singuli in eam involare, primasque tenere satagunt) cui sit ad latus ponenda? Arbitramur quando quidem senectus veneranda est. l. 5. pr. ff. De jur. immunit. At propter hoc senior juniori præferatur. l. fin. D. Fid. in. strum. Merito & hoc loco cum quadam prerogativa gaudere.

55. At quid si virgo juniori potius faveat, & nonnullis notis, puta oculorum nictu, calcatione pedum, compressione manuum (pro ut facere solent) aut alijs inditijs suum affectum exprimat? Ne sic quidem juniori fas esse seniozem cedere existimo. Hoc siquidem est juris publici, cui privatorum pacta & conventiones derogari non possunt. l. jus publ. 38. ff. De pact. Sed omne quod in fraudem ejus tentatur in vanum est l. 5. C. De. LL.

56. Verum si quis è junioribus amarus sit erga Virginem? Disting: An Inamoratio sit vulgaris aut matrimonialis, ut hoc casu propter favorems

favorem matrimonij quod ipsam immortalitatem generi humano artificiose
videtur introducere. N. 22. ff. proximus juxta virginem fit statuendus:
Et hoc propter vitandam Zelotypiam, quae facile fundamentum & ortum
suum capere potest, si Amasia nostra alteri adjungatur, qui ei adblandiatur,
cumq; ea ludat & jocetur: Illo vero casu nihil relaxandum est de jure
scripto, nolente quantumvis virgine. Nec hoc iniquum est, cum potuit
virgo abire, & postmodum illum quem amat secreto ad se vocare, illumq;
ad facietatem usq; delambere, imò ulterius quoq; progredi ei integrum est.

57. Sed quid si omnes sint ejusdem ætatis? forte rem dirimen-
dam esse censemus, quae omnium altercationum finis esse solet l. 3. pr. C.
Communia de legat. §. optionis 23. Instit: De legat.

58. Festivum huc referre lubet dubium: Utrumne studiosus post
fornacem vel in angulo aliquo cum Virgine tacitus stans præsumatur
rem illicitam agere? Neg. Clericus enim amplectens Virginem benedicen-
di animo hoc facere putatur. gloss. in. c. abbat. 14. ii. q. 3. perc. scriptu-
ris distinct. 96. sed dixerunt alij non præsumi eos orare pater noster. Qua-
re à tali benedictione libera nos domine.

59. Finaliter & hoc adijcere visum est: Quandoquidem pluri-
mos inter ipsa pocula admodum in somnum proclives esse comperi-
mur, sit neconsultum ut dominus hoc ijs indulgeat, eosq; apud se per-
noctare faciat? Dissuadeo totus ni insequente die convivium velit reno-
vatum: Nemo enim facile tam incivilis est, qui surgente sole nihil aroma-
tis aut aquae distillatitiae vel aliquid quippiam jentaculi, stomachi difficul-
tatem propellendi causa, hospitibus suis offerat. Quinimò ipsi sapiusculè ho-
spites dominum anteverunt optantes vel unicam halecui falsi palticulam
aut farcimonis tosti ulnam unam atq; alteram suspirantes, simileve quid ob-
lectamenti digito crepantes. Atq; intolerabilem fingunt sitim, quae lingu-
am ori adherere faciat? Querunt itaq; sollicitè nihilne hesterna potionis
sic reliquum? Illud qualecunq; sit, sibi porrigi prius expetunt, quam ut
longius ejusmodi siti torqueantur: Quid faciet dominus? Pudor admones
aliquid largiri, ni Demoe Terentiani tenacitatem sibi obysi velit. Quod
si faciat, nullis machinis toto illo die eos à se poterit dimovere, sed laudant
liberalitatem domini & bonitatem potus, mirantur, dejerantes se nunquam
credidisse post tantam crapulam tam bellè omnia stomacho conventura.
Quare hortantur invicem, ut strenuam navent operam, ac sub honore a-
mittendè

inter eos periculo bey Schelm Schelm se invicem confringant, ne quis primus abeat. Et sic & haec lux transit non sine crumena insigni jactura. Cavete itaq; cautius mercari. l. 2. C. de Furt.

60. Roges quid postero die Bacchi solennibus peractis nostri faciant? Quisve ejus sit animus? stertunt in multum diem postea expergefacti caput dolet, estq; turgidum grave & ad qualibet ineptum: Oculi sunt cavi, rubicundi & velut nebula obducti. Os est impurum atq; sordidum, obstitumq; circum circa bussellis pridianum vomitum redolentibus: Vestes sunt laceratae & sordibus conspurcatae undiq; non aliter atq; sisus per obscenissimas sese volutasset paludes. Recubantes ita in lecto per hora dimidium aut amplius aliquid ruminant prioris acta diei, si habeant cum quo colloquantur, revocant sibi uterq; ad mentem, quid acciderit, qua facetia condita, & quam egregios & fortes in bibendo sese quilibet exhibuerit, palmam qui obtinuit, ei laudes attribuunt amplissimas. Is cujus impensis haec omnia facta sunt, eadem secum recolligit, gestitq; hospites suos tam egregie ebrios abuisse. Aliquando tamen non adeo frontu est exprorecta & hilaris sed surgens & Musaeum intrans, videns omnia depopulata, Cornelium suspirat maximum, intro spiciens crumenam deprehendit eam vacuum. Ibi cubito aliquantulum capite suffulto meditatur, quibus medijs hanc lacunam rationum paternarum explere velit adductiq; rationibus dubitandi & decidendi, concludit tandem fucum faciendum esse patri, & in Medicos, pharmacopolas, vel libros, haec expensas factas dicendum. Invento ex re consilio discutiuntur frontis rugae & dissimulatur, quamvis adhuc aliquid egritudinis inhereat: Idq; propter aliorum vexationes quae solent esse certissima, si quempiam videant Cornelizantem. Hoc toto die nec feritur nec metitur, sed vel cuditur, vel animi causa extra portam itur; tertio demum die ad musas reditur. Nemo itaq; ad potationes accedat, qui biduum impendere nolit. Hoc propter eos moneo quibus prope- rante aliquid elaborandum est. Nam qui vult antecedens, velle etiam dicitur consequens l. 56. ff. de procur.

Haec hic hoc tempore posuisse sufficiant. Cum autem teste Cic. nihil sit simul perfectum & inventum, sicq; secundum Imp. in l. 1. §. 6. C. De V. I. E. qui subtiliter factum emendat, laudabilior sit eo, qui primus invenit: Itaq; ea publica censura submitto, & super errati veniam deprecor, tandem addendi minuendi & corrigendi facultatem mihi reservo.

COROL.

COROLLARIA.

An cochleatio quæ fit inter pocula, inducat à patre
studiosi probationem amoris?

Vulgus hominum in amorem & quidem maritalem hoc interpreta-
tur: dicunt enim. *Er hat mit ihr geleffelt/ Ergo ist er ihr Schatz.*
Sed perperam. Etenim questio illa seu interpretatio cum facti sit, qua et-
iam prudentissimos fallat, l. 2. ff. De l. & f. ignor. certi aliquid deter-
minare non licet, variatur siquidem secundum circumstantias, qua etiam
minima aliud jus includere solet: l. aut facta ff. de pœm l. pædius. §. 1.
ff. De incend. ruin. nauif. Praxis hoc monstrat quod sapissime studiosi in-
ter pocula virginibus volentibus oscula etiam columbarum dederint, quas
sequenti die ne aspectu quidem dignati sunt. Confirmant hanc sententiam
th. 24. disput. von der Lefseley/ *Gar selten geschicht es/ das dieß*
Giffte ins Hertz dringet/ darumb bleibet es am meisten aussen an der
Leber/ Arm/ Mund/ Zunge vnd Augen fleben/ Item Corollar. 1. il-
lius disput. Es ist nicht nöthig/ daß auß einer Lefseley flugs Hoch-
zeit werde/ Imo pro insulso haberetur studiosus contra legis autoritatem
peccaret, qui amorem à virgine presentatum aspernaretur, quo ipse aliquan-
do uti frui desiderat. tt. ff. Quod quisq; jur. in alt. stat. ut ipsi. Dicendum
igitur cum ipsa natura quandam cognationem inter nos constituat, qua
nihil aliud est quam naturalis omnium hominum cognatio; l. 3. ff. De l.
& l. (De qua Cic. in offic. graviter differit.) Cochleationem talem ex
miseriordia potius & opere charitatis quam ex singulari & ardenti amo-
re proficisci.

2. Cum nihil sit furore amoris vehementius, quem retinere perfe-
cta est philosophia monentia etiam & insipientem atq; inberentem concu-
piscenciam reseruantis ut inquit Imp. Instin. in Novell. 74. c. 4. Occa-
sione hujus queritur.

An Virgo, quæ ex vehementi amore capta amanti copiam sui
facit, meretrix sit turpis aut infamis & peccet?

Neganti Menochio IC. eminentissimo lib. 2. A. I. Q. Cal. 328. n. 3.
subscribinus.

Meretrix enim ista dicitur que quædam meretur. l. Athletas §.
ait Prætor. ff. De his qui not. infam l. palam §. non est ff. De R. N.
que


que multorum libidini patet. dist. 34. c. 36. vidua. Item quibus publice
venalis est turpitu do c. meretrices 32. q. 4. At nostra virgo non mere-
tur questum, sed amoris vi, quæ igni etiam fortior, coacta uni soli amanti
copiam facit. Quæ a. coacta se prostituit, meretrix non est, sed inviolatæ
existimationis. l. fædils. 20: C. ad L. Jul. de Adult. 3. Qui superioris
mandato obodivit, culpa caret. l. is damnnum. 169. ff. De R. J. At a-
more captæ est amoris sui serva: Ita enim inquit Propert. Libertas quo-
niam jam nulli restat amanti. Nullus liber erit. si quis amare volet. 4.
Probat ex d. Nov. 74. c. 4. Amorem esse furori speciem. Quod &
Plat. in Phæd. confirmat. At furiosus non delinquit. l. 12. ff. Ad l.
Corn. d. sic. Ergo nec virgo quæ amore captæ furiosa est. arg. d. Nov.
74. c. 4. Deniq; accedit quod concubinatus de jure civili sit licitus. t. t. ff.
De Concub. ex qua conjunctione nascitur filius naturalis qui per subse-
quens matrimonium legitimatus à reliquis justis suis non differt, & eadem
cum ijs successiones habet. N. 89. c. 8, in tantum ut etiam in feudis suc-
cedat, Gail. 2. ob. 141. At vulgo quæsitus, qui spurius dicitur, infamis
est, nec mater præsertim illustris ad successionem ejus admittitur. l. 5. C.
Ad SC. Orfician. Concludendum igitur, cum Imp. Justin. multa bene-
ficia mulieribus propter sexus infirmitatem & consilij incertitudinem con-
cessit, arg. prædictorum jurium, hoc in casu infamiam mulieri non comi-
tari: Beneficia enim Imperat. quæ à divina scilicet ejus indulgentia
proficiscuntur, quam plenissime interpretari debemus.


l. 3. ff. De constitut. Imp.





F I N I S











Ka 4574

(3a)


ULB Halle
007 376 790

3



WDA
[Handwritten scribbles]







DISPUTATIO IN- AUGURALIS THEO- RETICOPRACTICA

*Fus potandi, cum omnibus solennitatibus &
controversijs occurrentibus secundum
Fus civile discussis, breviter
adumbrans*

QUAM

*Permissu & Autoritate Nobilissimi & famosissimi
Ordinis in Academia Divæ Potina*

PRÆSIDENTE

DIONYSIO BACCHO Symposiaste summo &
Antecessore præcellentissimo

*In Collegio Hilaritatis, Symptotæ suis præstantissi-
mi publice exponet*

BLASIUS MULTIBIBUS UTRIUSQUE
Vini & Cerevisiæ Candidatus longè
meritissimus.

*Horis Antemeridianis & Postmeridianis
solutis & licitis.*

Respicendum an & quantum in natura hominum sit.
l. 38. ff. De rebus eod.



OENOZYTHOPOLI

Ad signum oculorum rubricolorum.
cl b CXXVI.

